UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXVII. An Christo Caro, seu, Humanitas sit Deificata?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

manu Dei? Sap. 3. Dextera Dei autem eſt Beatitudo, vt vult Hieron. Aug. &c. Aut eſt Dei Majeſtas ac potentia: vt rectius vult Athan. Baſ. Cyril. Amb. &c. Pſal. 109. *Sede à dextris meis*, ſcilic. par mihi Majeſtate: Quæ tamen data eſt Humanitati non in ſe, ſed in ſuppoſito: Ideo Humanitas non eſt Dea, ſed Dei; nec æqualis Deo naturaliter, vt Filius Dei, ſed per gratiam, id eſt, per participationem.

AD II. Chriſtus, quà Deus, eſt in gloria in ſeipſo: quà Homo, eſt in ſuppoſito participatiuè.

Sic AD III. Omnia tradita naturaliter vt Deo; communicatiuè vt homini iuſto: Sic AD IV.

AD V. *Vt impleret omnia* de ſe prophetizata: Vel, per effectus ſuos, non locali impletione.

AD VI. Minor falſa eſt: nam manus eſſe ſine corpore poteſt ſaluâ perſonâ. Itaque indiuiſa eſt, id eſt, vnũ ſubſiſtens.

QVÆSTIO XXVII.

An Chriſti Caro, ſeu Humanitas ſit Deificata?

LVTHERANI, non verbis, re tamen ipſa videntur aſſerere; *Eſſe Deificatam*: vt cui Deus Attributa ſua omnia impreſſerit, velut inſtrumento: At illa ſunt Deus ipſe; vt in quo nil ſit compoſitum &c.

ANABAPTISTÆ verò & Schwenckfeldiani aiunt iſta: Vt Seruetus l. 2. de Trinit. *Caro Chriſti eſt diuina, & ex Patris eſſentia genita.* Memnon Anabaptiſtarum dux *Ex patris ſubſtantia eſt in vterum Virginis delata.* Proinde cæteri, apud Cochlæum lib. de errorib. Monaſterienſium: *Chriſtus non habuit veram carnem ex Virgine aſſumtam.* Et Schwenckfeldius lib. de diu. Maieſt. humanit Chriſti. *Chriſti humanitas, poſt aſcenſionem eſt ſupercraturalis, non craturalis, & eſt verus Deus.*

LVTHERVS lib. de Cœna. *Neceſſe habes Chriſti Carnem; quæ eſt cum Deo vna Perſona; longiſſimè extra creaturas ponere; adeoque tàm longè, quàm Deus eſt extra creaturas eſt.* Anno M. D. LXXI. teſte Caniſio *in præfat. l. 1 de Corruptelis Verbi Dei*, propè Heidelbergam data licentia eſt Anabaptiſtis hanc diſputandi quæſtionem: *An Chriſtus ex Virgine carnem aſſumſerit; an aliunde?*

AVTOR. S. Scriptura teſtatur, natũ ex Virgine muliere Chriſtum verum hominem, ac paſſum. Gal. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, qui eſt Chriſtus.* Et ex recenſentur ex ordine Matth. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, &c.* Act. 2. *Dauid Propheta cum eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet ei Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper. &c.*

2. Clarè ſic exponit Auguſt. epiſt. 57. *Quoad Verbum, Chriſtus eſt Creator; quoad carnem, creatura eſt.* Idem, Serm. 12. *Natus de Patre creauit & matrem: creatus de matre glorificauit Patrem.* S. Fulgentius l. de Incarn. c. 2. *Creari dignatus eſt non creatus.* Eſt itaque Chriſtus totus; Deus; ſed non Totum eſt Deus.

3. Quibus cum ſannis CALVINISTÆ Vbiquetarios irrideant, videre dabo forſan alibi. Iſti enim adeò nolunt Chriſto cum Patre eſſe communia Attributa, *Bell. l. 1. de Chriſto cap. 4.* vt nec Opera Dei velint Chriſtum omnia participare *Bell. ibid. cap. 9.* Argumenta eorum vide *ibid. cap. 15. &c.* Porro de Animæ Dominicę Perfectione quærant. Nam de iſto plura inferius, *quæſt. 35.*

QVÆSTIO XXVIII.

An qua humanâ Chriſtus laborarit Ignorantia?

LVTHERVS in Poſtilla maiore, concione de Nat. Dom. *Intempeſtiuam hic quidam aſſeruitant ationem, dicentes: Filius neſcit, id eſt, ſcire noluit. Quid opus eſt iſtis commentis? Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus homo, ſed ſanctus, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia.* Et infra. *Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, ac ſenſit; ita etiam corde non omnia ſem-* per